

AENEIDOS X

aut amnis ripis aut alti fornice saxi,
 dum pluit in terris, ut possint sole reducto
 exercere diem: sic obrutus undique telis
 Aeneas nubem belli, dum detonet omnis,
 sustinet et Lausum increpitat Lausoque minatur: 810

'quo moriture ruis maioraque uiribus audes?
 fallit te incautum pietas tua.' nec minus ille
 exsultat demens, saeuae iamque altius irae
 Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
 Parcae fila legunt. ualidum namque exigit ensem 815
 per medium Aeneas iuuenem totumque recondit;
 transiit et parmam mucro, leuia arma minacis,
 et tunicam molli mater quam neuerat auro,
 impleuitque sinum sanguis; tum uita per auras
 concessit maesta ad Manis corpusque reliquit. 820

At uero ut uultum uidit morientis et ora,
 ora modis Anchisiades pallentia miris,
 ingemuit miserans grauius dextramque tetendit,
 et mentem patriae subiit pietatis imago.
 'quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis, 825
 quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
 arma, quibus laetatus, habe tua; teque parentum
 manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.
 hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
 Aeneae magni dextra cadis.' increpat ultro 830
 cunctantis socios et terra subleuat ipsum
 sanguine turpantem comptos de more capillos.

Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
 uulnera siccabat lymphis corpusque leuabat
 arboris acclinis trunco. procul aerea ramis 835